

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Vicium k
cum fontibus proximo et primo

Manipulus florum, Vicium k:

Capitalia uicia
tanta sibi coniunctione coniunguntur, ut non nisi unum
de altero proferatur. Prima namque superbie soboles inanis est
gloria quia dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam
gignit, quia nimirum dum uani nominis potentiam appetit
ne quis hanc alias adipisci ualeat tabescit.

Inuidia iram generat quia quanto interno liuoris
uulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo
tranquillitatis amittitur.

Ex ira tristitia oritur quia turbata mens
quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit.

Tristitia ad auariciam deriuatur quia dum confusum cor
bonum leticie in semetipso intus amiserit, unde consolari
debeat foras querit, et tanto magis exteriora bona adipisci
desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus
recurrat.

Gregorius libro XXXI. moralium.

Fons proximus:

Ad primum ergo dicendum quod,
sicut Gregorius dicit, in XXXI Moral.



capitalia vitia

tanta sibi coniunctione coniunguntur ut non nisi unum
de altero proferatur. Prima namque superbiae soboles inanis est
gloria, quae dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam
gignit: quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc
alias adipisci valeat, tabescit.



Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae,*
36.4.resp.1 (P. Caramello ed., p.198).

Fons primus:

Quia ergo septem principalia uitia tantam de se uitiorum
multitudinem proferunt, cum ad cor ueniunt, quasi subsequentis
exercitus cateruas trahunt. Ex quibus uidelicet septem, quinque
spiritalia, duo que carnalia sunt. Sed unumquodque eorum
tanta sibi cognatione iungitur, ut non nisi unum
de altero proferatur. Prima namque superbiae soboles inanis est
gloria, quae dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam
gignit: quia nimirum dum uani nominis potentiam appetit,
ne quis hanc alias adipisci ualeat tabescit.

Inuidia quoque iram generat, quia quanto interno liuoris
uulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo
tranquillitatis amittitur;

et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositae
actionis manus uelut grauius pressa sentitur.

Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens
quo se inordinate concutit, eo addicendo confundit;

et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit,
nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens maeror pascit.

Tristitia quoque ad auaritiam deriuatur, quia dum confusum cor
bonum laetitiae in semetipso intus amiserit, unde consolari
debeat, foras quaerit; et tanto magis exteriora bona adipisci
desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus
recurrat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, 31.45 (CCSL 143B, M.
Adriaen ed., pp.1610-11, ll.37-57).